

I. N. J.
 THESSES
 DE PHILOLOGIAS.
 E Tractatu Procœmiali &c.
 concinnatæ.

I. **D**E Philologiâ, divinâ adspirante gratiâ, acturi, ea, quæ ad ὀνομασολογίαν spectare videntur, paucis præmittemus. Ac primùm quidem ἔτυμον vocis quod attinet, ejus origo è Græca Lingvâ, unde nata est, eruenda venit. Descendit autem ἀπὸ τῆς φιλεῖν amare, & λόγῳ, quod est, ratio vel oratio, ut ita vi vocis significet loqvendi seu differendi studium & amorem, quemadmodum Græci φιλόλογον appellant illum, qui loqui & differere ac disputare de aliquâ re amat, & φιλολογεῖν iis est, libenter differere, disputare de literis, vel teneri studio literarum.

II. Accipitur autem vocabulum hoc *Philologia* diversimodè. (1.) *in genere* notat studium, seu amorem loqvendi aut differendi de aliquâ re. (2.) *Generalior* illa acceptio est, quando in malam etiam partem pro loquacitate capitur. Hoc modo vinum φιλόλογος πίνεις πεινῶν i. e. loquaces reddere omnes apud Athenæum dicitur. (3.) *Specialiter* verò sumitur pro solo studio literarum. Hâc significatione φιλόλογος exponitur *Studioſus literarum*, seu *litteratus*, qui lingvarum plurimarum notitiam & usum sibi comparavit. (4.) *Specialissimâ* deniq; significatione, & quidem cum appellatione, Philologia SACRA, studium denotat lingvarum sacrarum, Græcæ scilicet & Hebraicæ, quæ ad Theologiam præprimis requiruntur, quo significatu D. Glasius insignem illum, quem de Vet. & N. T. interpretatione conscripsit, tractatû, Philologiam Sacram inscripsit, sicuti quoq; Clarissimus Dn Praeses Notas suas de Notitiâ Dei Naturali hoc nomine insignitas edidit Philologicas, è cujus Tractatu Procœmiali, uti materia Disputationis hujus concinnata est, ita nec aliam hoc loco significationem, quàm quâ pro studio Sacrarum Lingvarum inibi accipitur, intellectam volumus.

III.